



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654


Tractatvs VIII. De causa efficienti increata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

intelligendi; id, quod omnibus denominationibus commune est: subiectum autem intelligendi capax, est solus intellectus: hæc enim duo synonyma sunt: adeoque denominatio intelligentis intrinsecè, & essentialiter intellectum includit: cum ergo bellua intellectu non polleat, sanè denominationem intelligentis suscipere ne diuinitus poterit. Ad secundam probationem probabilius est, creaturam aliquam à Deo assumi posse ad immediatè creandam aliam: quod si id impossibile malis, non ob rationem repugnantia in argumento allatam, sed ob aliquam aliam specialem ideo erit. Ad tertiam probationem: relationes diuinæ, quantumuis immediatè operatiuæ ad extra naturaliter non sint; & is operandi modus nec ab ipsis relationibus, nec à creaturis postuletur; tamen diuinitus, siue miraculose immediatè operari ad extra possunt: haud secus ac omnipotentia Dei, quantumuis naturaliter creatiua quantitatis non sit, & nec omnipotentia quantitatem creare, nec hæc ab illa creari postulet; tamen miraculose omnipotentia quantitatem creare potest, & de facto creat: ceterum hæc potentia, qua relationes diuinæ diuinitus operari immediatè ad extra possunt, obedientialis, siue eleuata dici non potest; eò quod diuinæ relationes nullam causam se nobiliorem respiciant, à qua eleuari, aut cui subiici, & obedire possint.

41.

Vltimò contra vltimam assertionem obiecijs; dominium Dei in creaturas, quo iis ad supernaturales actiones uti potest, perfectissimum, & summum est: igitur etiam subiectio creaturarum, qua creatori in immediatè operando supra naturam obedire possunt, perfectissimum, & summa est: ac proinde ea qua maior esse nequit, si creatura quæuis ad certos solum, & definitos effectus supernaturaliter producidos à Deo euehi possit; sanè subiectio creaturæ respectu creatoris non esset summa, & perfectissima, eaque qua maior excogitari non posset. Respondeo, ad perfectionem diuini dominij, & obedientia creaturarum neutiquam attinet id, quod implicat: quare quod Deus eleuare nequeat intellectum ad simul assentiendum, & dissentendum eidem obiecto, nec dominio Dei intellectum, nec huius subiecti, & obedientia quidquam derogat: cum ergo virtus obedientialis immediatè actiua omnium effectuum possibilium contradictionem implicet, ut supra ostensum est: sanè ea nec ad perfectionem diuini dominij in creaturas, nec ad harum obedientiam, & subiectionem pertinere potest.



TRACTATVS VIII.

De causa efficienti increata.

CAPVT PRIMVM.

An causa prima cum secundis immediatè concurrat?

1.

DVRANDVS in 2. dist. 1. q. 5. censet, Deum cum causis secundis ad suos effectus immediatè non concurrere, nec posse; &

atenus ad eos concurrere, quatenus tribuit earum causis esse, & virtutem, per quam eos operentur. Hæc opinio sacris literis parum consona est, ut constat ex Psalm. 138. ibi: *si descendero in infernum, ades; si sumpsero penas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illic manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua: & ex illo Pauli ad Roman. 11. in ipso viuimus, mouemur, & sumus: & ex illo Isaia 26. omnia opera nostra operatus est in nobis.* Quod autem in sacra pagina testimonia de concursu immediato Dei in omnes omnium creaturarum effectus intelligenda sint, perspicuum est: quia intelligi debent de concursu vero, & proprio, & non improprio, & translatitio: at solus concursus immediatus proculdubio verus, propriusque est: quorum alterum, & alterum ostendimus supra tract. 1. cap. 2. huiusmet libri.

Quamquam autem autoritate penè certum sit, Deum immediatè cum causis secundis concurrere: si tamen rationum momenta spectentur, adeò certum non est: missis aliorum rationibus, quas in præsentia refert, & refellit Arriaga, communem sententiam hac ratione potissimum suadeo. Nulla virtus finita, qualis haud dubie est cuiuscumque creaturæ, se sola potest rem à non esse ad esse transferre: ergo nec immediatè rem ullam se sola producere: atque adeò ad immediatè operandum necessario postulat concursum virtutis simpliciter infinitæ, qualis est ea, qua Deus pollet. Antecedens probatur, quia ad transferendam rem à non esse ad esse requiritur virtus simpliciter infinita: ergo virtus finita, qualis est creaturæ, se sola rem ab esse ad non esse tradere nequit. Rursus hoc antecedens probatur quia non esse hominem v.g. & esse hominem simpliciter infinite distant: at ad hoc, ut aliqua virtus actiua actiuitate sua terminos simpliciter infinite distantes attingat, & rem per actionem ab vno ad alium transferat, simpliciter infinita esse debet. Maior probatur: quia imperfectio non hominis est summa, & simpliciter infinita cum omnis perfectionis essentialiter incapax sit: perfectio vero hominis non est simpliciter infinita, & summa, cum alicuius imperfectionis capax sit: ergo non homo, & homo simpliciter infinite distant: siquidem ad distantiam simpliciter infinitam duorum extremorum satis est, ut vnum extremum sit simpliciter infinitum: ut in Deo, & Angelo cernere est. Tum quia non esse simpliciter hominem, & esse simpliciter hominem habent infinitam simpliciter latitudinem, & extensionem, qua ambiunt, & continent omnia entia tam existentia, quam possibilis; tam creata, quam increata: quæ quidem numero, & perfectione simpliciter infinita sunt: igitur à non homine ad hominem distantia simpliciter infinita est. Minor vero superioris syllogismi perspicua est: quia ut virtus loco motiua, aut impulsiva v.g. rem ab vno spatio ad aliud infinite distans per motionem, aut impulsionem transferre possit, debet esse infinita in aliquo genere. & secundum quid: haud secus ac spatia ipsa in genere loci, & secundum infinite distant: ergo ut virtus actiua aliqua, &c. Simili ratiocinationis genere in Dialectica lib. 8. tract. 2. cap. 2. ostendi repugnare trinitatem creatam: qua vna natura creata tribus realiter distinctis identificetur: quare tam repugnare arbitror concursum immediatum alicuius

alicuius creaturæ se sola, & absque consortio causæ primæ, quam in creatis mysterium triados repugnat.

3. Confirmatur primò: si Deus solum medio aliquo Angelo superioris ordinis à se producto effectus creaturarum cognosceret, aut decerneret; eosque immediatè intentionaliter non attingeret, eius voluntas, & intellectus imperfectionis expertes esse non possent: ergo si solum mediis causis creatis à se productis eorum effectus producit, & immediatè eos physicè non attingit, eius omnipotentia imperfectioni obnoxia non esse non poterit. Confirmatur secundò: si Deus solum esset in tempore, & loco mediis creaturis ab eo vtroque productis, & non immediatè, & intime perfectè æternus, immensulque non esset: ergo similiter si Deus effectus causarum secundarum solum mediis ipsis causis à se productis operaretur, & non immediatè, & proximè, perfectè quidem omnipotens non erit. Equidem non conspicio, cur Deus per essentiam immediatè ubique esse debeat, & per potentiam etiam immediatè ubique esse non debeat? Argumenta Durandi ferè nullius momenti sunt, & à P. Suarez, Hurtado, & aliis in præsentia rectè solvuntur: si quæ verò difficultatem continent, decursu tractatus à nobis explicabuntur.

CAPVT II.

An causa prima, & secunda eadem actione concurrant?

4. **A**ssero primò: Causa prima, & causa libera secundæ eadem numero actione concurrunt: ita Doctores omnes nostræ Scholæ: & apertè suadetur: quia actio causæ liberæ à Deo immediatè dependet, & producitur, vti contra Durandum ostendimus: at non per aliam actionem à se distinctam: ergo per se ipsam. Minor probatur, quia actio illa distincta à Deo profecta libertatem actionis creatæ euertit: siquidem more reliquarum actionum actione creaturæ, quam velut terminum respicit, prior natura esset; & cum ea essentialiter connexionem haberet: qua ratione physica prædeterminatio, aut prærequisita causæ necessariæ ad operandum libertatem adimunt. Tum sic: actio causæ liberæ per se ipsam essentialiter à Deo producitur, & dependet: ergo per eam Deus eius terminum immediatè producit? Consequentia probatur: tum quia ideo per actionem illam liberam causam creatam eius terminum producit, quia ipsamet actio à causa creatâ immediatè producitur: ergo, &c. Tum quia eo ipso, quòd vnio aliqua seipsa essentialiter alicui extremo vnatur, nequit illud extremum alteri, ad quod terminatur, immediatè non vnire: ergo eo ipso, quod actio libera creaturæ se ipsa essentialiter producat à Deo, nequit non denominare Deum producentem terminum, ad quem ipsa terminatur.

5. Obiicies primò: vna, & eadem actio oriri nequit ab agentibus specie diuersis: at causa prima, & secunda, agentia specie diuersa sunt. Secundò: vna indiuisibilis actio nequit esse immanens, & transiens; vitalis, & non vitalis: at actio Dei, qua aliquid ad extra operatur, est

non vitalis, & transiens; & actio libera creaturæ circa eundem effectum est immanens, & vitalis. Ad primum respondeo, negato antecedenti: quia non magis differunt specie duo agentia, quàm agens, & effectus: at vna indiuisibilis actio agens, & effectum essentialiter respicit tanquam reciproca vtriusque relatio: ergo etiam duo agentia specie diuersa essentialiter respicere, ab illiusque prodire poterit: id quod expressè docet S. Thom. 2. part. quæst. 185. art. 3. ad 2. *vna actio non procedit à duobus agentibus* (supple totalibus vnus ordinis:) *sed nihil prohibet, quòd vna, & eadem actio procedat à primo, & secundo agente.* Ad secundum: vna eademque actio potest esse immanens, & transiens; vitalis, & non vitalis respectu diuersorum agentium: haud aliter ac vnus, idemque voluntatis actus respectu diuersorum obiectorum; amor & odium; efficax, & inefficax; gaudium, & desiderium esse potest.

Assero secundò: causa secunda necessaria, & causa prima distinctis realiter actionibus concurrunt. Probatur, quia Deus effectum causæ necessariæ, eiusque actionem voluntate absoluta, & efficaci decernit: at ea voluntas ab actione creaturæ realiter distinguitur, vt compertum est: & aliunde est partialis actio, qua Deus trans-eunter operatur: sicut voluntas efficax Dei terminata ad existentiam Angeli, actio creatiua Angeli partialis, & inadæquata est, vt lib. 5. tract. 2. ostendam: igitur actio Dei circa effectum causæ necessariæ ab actione causæ necessariæ circa eundem effectum distinguitur. Obiicies primò: actio causæ necessariæ dependet, & producitur à causa prima: est enim aliquid, & sine Deo factum est nihil: at non per aliam actionem: ergo per se ipsam: ac proinde est actio non minus causæ primæ, quàm secundæ. Minor perspicua est: quia actionis non datur actio: aliàs daretur processus in infinitum. Obiicies secundò ex P. Hurtado in præsentia: si actio Dei in eius voluntate absoluta, & efficaci circa effectum, & operationem causæ primæ necessariæ consisteret, actio Dei esset quædam prædeterminatio physica, qua Deus causam secundam ad operandum prædeterminaret: siquidem actionem creaturæ natura antecederet, & aliunde cum ea essentialiter connexa esset.

Ad primum respondeo: in primis, quatenus dari possit actionis necessariæ actio etiam respectu eiusdem agentis fusè ostendimus infra, cum de creatione egerimus. Deinde transeat, actionis non dari actionem ab eodem agente: quia aliàs fortè daretur processus in infinitum: sicut enim prima actio seipsa immediatè ab agente egredi nequit, tametsi eius actio sit: cur secunda ab eo immediatè egrediatur, & non potius per aliam tertiam, & sic sine fine? At actionis datur actio à diuerso agente, eo quod actio vnus agentis alterius agentis terminus esse possit: haud secus ac cognitio, quæ respectu sui obiecti cognitio est, respectu alterius cognitionis obiectum est: atque adeò per aliam cognitionem cognosci potest. Ad secundum respondeo, illud eodem modo militare, siue actio Dei in eius voluntate absoluta efficaci sita sit, siue non: siquidem ea voluntas, esto actio Dei non sit, cum actione causæ creatæ essentialiter connectitur, eamque natura antecedit: cur igitur prædeterminatio quædam censenda non est? Rursus: Deus in omnium sententia

tentia causas secundas non licet: eas in actu primo necessitat: omnis enim necessitas eiusmodi causarum à Deo proficiscitur, tanquam à causa: at necessitare in actu primo, est prædeterminare: igitur argumentum positum omnibus soluendum est. Quare absolute respondeo: prædeterminatio physica propriè accepta, & prout à Thomistis explicari consuevit, est qualitas quædam, aut actio causarum secundis liberis, aut necessariis ad operandum proximè expeditis superueniens, easque ad operandum determinans: at voluntas efficax Dei, in qua eius actio à nobis collocatur, causis secundis necessariis proximè ad operandum expeditis non superuenit, quinimò formalissimè eas ad operandum expedit, & complet: unde prædeterminatio non est, prout hæc communiter usurpari solet, & inter nostros, atque Thomistas controuertitur.

CAPVT III.

An causa prima cum secunda ad actum peccati physice concurrat?

8. Pater Hurtado in locupletiore philosophiæ suæ editione partem negantem latè, & eruditè explicat, eamque periculosam, aut erroneam non esse defendit. Verùm nec ipse P. Hurtado, nec alius alicuius nominis Theologus hac temperatè eam absolute tueri sustinet; & merito quidem: primò, quia Deus concurrit concursu immediato, & physico ad omnem perfectionem, & entitatem physicam, qualiscumque sit: at actus peccati, odium liberum Dei v.g. habet entitatem, ac perfectionem physicam, cum vitale, spirituale, &c. sit: igitur ad illud Deus concursu immediato, & physico concurrit. Maior suadetur: quia ad infinitam, omnique ex parte illimitatam perfectionem diuinæ voluntatis spectat, vt media illa Deus sit causa moralis immediatè intendens omnem perfectionem, seu bonitatem moralem creatam, vt omnibus in confesso est, & de se compertum est: igitur similiter ad infinitam, omnique ex parte incircumscriptam perfectionem diuinæ omnipotentiae spectat, vt Deus media illa sit causa physica immediatè producens omnem perfectionem, & entitatem physicam creatam.

9. Secundò idem suadetur: quia quod Deus immediatè concurrat ad actum studiosum oritur ex eo, quod eiusmodi actus creatura sit, & in fieri à non esse ad esse transferatur, vti supra ostensum est: at etiam actus prauus, videlicet odium Dei creatura est, & non esse ad esse transfertur. Rursus Deus per immensitatem localiter attingere debet quodecumque spatium, quantumvis in eo aliquid Deo indignum, eique exosum existat, iuxta illud Dauidis: *si descendero in infernum, ades*: igitur similiter Deus per omnipotentiam suam physice attingere debet quancumque perfectionem, & entitatem physicam, ac per potentiam in ea esse, quantumvis eum aliqua imperfectione, aut malitia morali Deo inuisa cohareat. Tandem, si qua ratione Deus concursu physico, & immediato ad actum peccati non concurreret, haud secus ac ad actus bonos physice concurreret; maximè quia Deus non minus peccati, quàm bonorum operum author dici, & censeri posset con-

tra illud Concilij Tridentini sess. 6. can. 6. ibi: *si quis dixerit mala opera, ita vt bona Deum operari non permittit solum, sed etiam propriè & per se, adeò vt sit proprium eius opus; non minus proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli, anathema sit*: at cum concursu physico, & immediato Dei in actum peccati optime consensit, Deum non esse Authorem peccati, sicuti bonorum operum Author est. Pro cuius luce, & intelligentia, & præcipue contra nostram sententiam rationis solutione.

Præmitto primò, causam aliam esse physicam, aliam moralem. Rursus, causam physicam, aliam esse per se, aliam per accidens. Causa physica est, quæ opus aliquod physice producit: causa moralis est, quæ ad opus aliquod moraliter concurrat, videlicet, quæ illud suadet, aut præcipit, aut non impedit; cum tamen impedire teneatur, aut demum ad illud liberè, & spontaneè se determinat: qua ratione omnis causa merens, aut demerens meriti sui, aut demeriti causa moralis dici consuevit. Causa physica per se est, quæ opus aliquod producit cum innata propensione, & inclinatione ad illud, vt facultas progressiua gressum perfectum: causa physica per accidens est, quæ seorsim ab ea inclinatione, & propensione effectum suum producit, vt facultas progressiua claudicationem. Præmitto secundò, Deum non esse causam moralem actus peccaminosi, quantumvis ad eum physice concurrat: siquidem Deus non intendit, suadet, aut præcipit; sed potius minis, ac terroribus; promissis, ac illecebris, consiliis, & præceptis ab eo voluntatem humanam retrahit, & auertit: & quamvis illum non impediatur, cum tamen non impedire minimè teneatur: ac demum is actus Deo perinde, ac voluntati formaliter liber, & spontaneus non est. Deinde Deus, nec causa physica per se peccati, quoad eius malitiam, esse potest: siquidem ad peccati malitiam cum inclinatione, & propensione innata ad illam minimè concurrat: eo quod eiusmodi malitia nec bonum Dei intrinsecum sit, vt constat, nec etiam extrinsecum, cum in eius gloriam per se non cedat, quamvis occasionaliter ei deseruiat.

Præmitto tertio, Deum non esse causam physicam immediatam etiam per accidens peccati, quoad eius malitiam, ad eamque nullo modo physice concurrere: quia quantumvis malitia peccati cum eius bonitate, & perfectione physica identificata sit realiter, tamen virtualiter ab ea distinguitur, vt ostendam in Metaphys. lib. 2. tract. 4. quare non est, cur Deus ad malitiam peccati physice concurrat: siquidem ideo ad odium liberum Dei physice concurrat, quia odiū Dei perfectionem aliquam physicam inuoluit: at malitia eius odij, prout condistinguitur virtualiter ab eius entitate, & perfectione physica, nullam perfectionem physicam inuoluit: igitur ad eiusmodi malitiam, &c. Quibus constitutis, minor nostri argumenti suadetur; & præcipuum contra nostram sententiam argumentum enodatur: siquidem quantumvis Deus ad actum peccati physice concurrat, eius tamen causa moralis, aut physica per se neutiquam est. Deinde peccati quoad eius malitiam nec causa physica per accidens est: at actus boni, seu studiosi causa moralis, & causa physica per se, & eius quoad totam illius bonitatem moralem causa, est: igitur quamuis

10.

11.

quamvis Deus ad actum peccati physice concurrat, sicuti ad actum studiosum physice concurrat; unus tamen, & non alterius author censendus est, pro eo ac Patres, Concilia, & Scriptura testantur.

12. Verum contra hanc doctrinam obiicitur primò: tam sancta est diuina omnipotentia, ac diuina voluntas: at diuina voluntas nequit esse causa moralis actus prauum eum intendens: ergo nec diuina omnipotentia eius causa physica esse potest. Obiicitur secundò: omnis causa libera est causa moralis eius operationis, quæ ei proximè, & immediatè libera est, vt nuper statuimus, & merito: aliàs qua ratione voluntas causa moralis dici debet eius actus, ad quem liberè se determinat: at actus peccati eo ipso, quod à Deo physice producat, ei proximè & immediatè liber est: siquidem omnia prærequisita ad hoc, vt Deus actum prauum ponat, indifferentia sunt ad eius existentiam, vel ad eius carentiam: nec enim ex parte Dei datur volitio aliqua efficax terminata ad peccatum, & cum eo præuè connexa: nec etiam ex parte voluntatis actio aliqua præuè connexa cum actione, qua Deus ad peccatum concurrat.

13. Ad primum respondeo, hoc quod est, concurrere virali, & morali modo ad peccatum, inuoluit speciale dedecus, & specialem repugnantiam cum sanitate, quæ puritas effectus à Dionysio cap. 12. de diuinis nominibus definitur: quam repugnantiam, & indecentiam non inuoluit concurrere mortuo, ac physico modo: vt vel suadent ea, quibus ostendimus, Deum summè sanctum ad peccatum physice concurrere: unde, quamvis voluntas peccatum velle nequeat, &c. Ad secundum respondeo, distincta duplici libertate, nimirum libertate indifferentiæ, & libertate spontanei, siue à coactione: libertas indifferentiæ est, qua causa operari, vel non operari potest, positis omnibus requisitis: libertas spontanei, siue à coactione est, qua causa aliquid spontè, siue sciens, volensque operatur: libertate ergo solius indifferentiæ actio peccaminosa immediatè, & formaliter Deo libera est: secus vero libertate spontanei, siue à coactione; cum eiusmodi actio transiens, non volitionem Dei, sed meram eius permissionem terminat: vt ergo aliqua causa titulo libertatis causa moralis sit, oportet, vt vtramque libertatem nuper explicatam respectu operis exerceat: quare cum Deus alteram, & non vtramque respectu actionis peccaminosæ exerceat, certè nomine libertatis peccati causa moralis esse non poterit. Ad extremum animaduerto, quod dictum est hoc capite, malitiam peccati non produci physice à Deo, hoc intelligendum esse de malitia illa immediatè, & reduplicatiuè sumpta, siue vt malitia est, vtque ab entitate peccati distinguitur: ita enim eam produci à Deo, esset eam esse Deo rationem, ac veluti titulum productionis, quam terminat, nec non etiam talem esse, vt si per impossibile distingueretur realiter ab entitate, nihilominus terminaret influxum physicum diuinæ omnipotentia: at alterum alterque falsum est: & vtriusque falsitas sufficit ad id, vt Deus nequeat dici causa etiam physica per se peccati. Sin autè sermo sit de malitia peccati specificatiue, & mediatè sumpta: ita quidè haud negauerim, eam absolute à Deo produci physice: hinc tamen non fiet, nisi ad summum quod Deus sit causa physica per accidens peccati. Sed de his plura in Metaph.

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

CAPUT IV.

Qua volitione Deus omnipotentiam suam ad concurrendum cum causis secundis applicet?

14. Præmitto primò, Deum per volitionem aliquam applicare omnipotentiam suam ad hoc, vt causis secundis cooperetur: si enim efficaciter noller concurrere cum causis secundis, sanè iis neuiquam cooperaretur: igitur ad eam cooperationem volitione aliqua opus habet. Præmitto secundo, Deum applicare omnipotentiam suam ad cooperandum, & concurrendum cum causis secundis, & necessariis per volitionem absolutam, & efficacem eius, quod simul cum iis operaturus est: quia Deus applicat omnipotentiam suam ad concurrendum cum causis secundis per volitionem proportionatam earum naturis: eum ergo causæ secundæ necessariæ suapte natura sint determinatæ ad vnum, Deus applicat omnipotentiam suam ad concurrendum cum illis per volitionem determinatam ad vnum: ac proinde per volitionem absolutam, & efficacem eius, quod simul cum illis operatus est. Præmitto tertio, eadem ratione Deum applicare omnipotentiam suam ad concurrendum cum causis secundis liberis per volitionem indifferentem ad vtrumlibet: quæ volitio qualis esse debeat, præcipua capitis præsentis difficultas, atque materies est.

15. Prima sententia est Thomistarum, Deum applicare omnipotentiam suam ad concurrendum cum causis liberis, illas earum libertate per decretum efficax, & absolutum suæ voluntatis. Verum hæc sententia in simili refutanda est, cum de prædeterminatione physica cap. seq. egerimus. Secunda sententia est Patris Suarez disp. 32. Metaphys. sect. 4. num. 14. Deum applicare omnipotentiam suam ad concurrendum cum causis liberis per volitionem efficacem non tamen absolutam, sed conditionatam: qua videlicet efficaciter decernit concurrere ad effectum sub conditione, quod voluntas creata ad eum concurrere velit. Ceterum hæc sententia displicet: primò, quia cum ea volitione conditionata optimè coheret, Deum efficaciter nolle, vt voluntas creata ad actum amoris v. g. concurrat: at posita ea nolitione efficaci omnipotentia Dei ad producendum actum amoris proximè applicata, & expedita non est, sed potius impedita, & non applicata: igitur ea volitio conditionata coheret cum hoc, quod omnipotentia Dei ad cooperandum causæ liberæ proximè expedita, & applicata non sit: ac proinde sola ea volitio omnipotentiam Dei ad cooperandum causæ liberæ non applicat, nec expedit. Maior in propatulo est: siquidem volitio conditionata efficax alicuius obiecti compossibilis est cum nolitione efficaci conditionis, sub qua obiectum est volitum: vt si quis Ecclesiam orandi causa visitare vellet, si foras egrederetur, egredi tamen foras absolute nolleret: at concursus voluntatis est conditio, aut quasi conditio, sub qua Deus suum concursum decernit: igitur volitio conditionata concursus sui generalis in Deo compossibilis est cum nolitione efficaci concursus voluntatis, sub cuius conditione suum concursum decernit. Secundò ea sententia mihi improbat, quia iuxta eam Deus propriè, & simpliciter actionem prauam

R

prauam

prauam, & peccaminosam veller; contra illud Davidis: *quoniam non Deus volens iniquitatem, tu es*. Sequela suadet: quia velle actum prauum conditionatè nimirum, si voluntas creata ad eum se determinet, est propriè, & simpliciter eum velle: haud secus ac scientia conditionata in Deo omnium consensu propriè, & simpliciter scientia est.

16. Tertia sententia est eiusdem Patris Suarez loco nuper laudato, aliorumque Recentiorum, Deum applicare omnipotentiam suam ad concurrendum cum causis liberis per decretum efficacem, & disiunctiuum, qua hanc aut illam actionem, prauam videlicet, aut studiosam indifferenter vult, atque decernit: quod genus volitionis circa peccatum nullam in Deo imperfectionem arguit, & omnibus concedendum esse, hac ratione se conuicisse existimant: siquidem Deus vult efficaciter concursum indifferenter in actu primo ad peccatum, aut opus bonum; siue, quod perinde est, potentiam proximè expeditam ad vtrumlibet: at concursus indifferens in actu primo, siue potentia expedita ad peccatum, seu virtutis opus, essentialiter connectitur cum peccato, aut virtutis opere; & sine alterutro ne diuinitus esse potest: ergo Deus vult formaliter connectionem essentialem cum peccato, aut bono opere: ac proinde ipsum peccatum, aut bonum opus virtualiter vult eo volitionis genere, quod disiunctiuum, aut indeterminatum nuncupatur.

17. Contra tamen quia Deo repugnat per aliquam volitionem æque propendere in peccatum & opus bonum, & paribus momentis in vtrumque ferri: at si Deus applicaret omnipotentiam suam ad operandum per volitionem disiunctiuam respondentem his vocibus: *nolo peccatum, vel opus bonum* per eiusmodi volitionem in peccatum, & opusque bonum æque propenderet, nec magis in vnum, quàm in aliud inclinarer. Rursus cognitio disiunctiuam, & indeterminatam propriè, & simpliciter cognitio est: ergo & volitio disiunctiuam propriè, & simpliciter volitio est: ac per consequens Deus disiunctiuè volens peccatum, illud propriè, & simpliciter velle censendus est. Quod autem aduersarij arguunt Deum velle concursum indifferenter actu prauo, vel studioso indeterminatè sumptis essentialiter connexum, atque adeo immediatè peccatum, vel actum studiosum velle nullius momenti est: quia sicut causare mediatè non est propriè causare: ita similiter velle mediatè, aut in alio non est simpliciter, & propriè velle: unde quamuis Deus mediatè, siue medio concursu indifferenti peccatum disiunctiuè sumptum velit, non propterea illud propriè, & simpliciter velle censendus est: nec inde argui poterit ad volitionem disiunctiuam, qua formaliter, & immediatè Deus peccatum, vel opus bonum velit: cum hac volitio peccatum disiunctiuè sumptum simpliciter, & propriè non velle nequeat.

18. Quarta sententia est P. Hurradi, Raynaudi, & aliorum complurium, Deum applicare omnipotentiam suam ad concurrendum cum voluntate creata per voluntatem quandam permissiuam, quæ non ad actum aliquem eorum, quos voluntas elicere potest, de se terminetur, sed ad carentiam impedimentorum in hunc modum: *nolo impedire amorem, & nolo impedire odium*. Unde si in Deo possibilis esset pura omisso, iuxta hanc sententiã omnipotentia Dei ad concurrendum cum libero

arbitrio creato sufficienter applicata esset per hoc, quod omnem volitionem vsui liberi arbitrij contrariam purè omitteret. Contra tamen, quia Deus non minus operatur ad extra per voluntatè, quam per intellectum; vt certo certius esset nullum effectum præsertim honestum, aut se solo, aut simul cum creatura operari potest, quin id quod operaturus est, positiuè sciat: igitur etiam quidquid operaturus est ad extra, positiuè velle debet, præsertim si honestum sit: atque adeo per meram nolitionem, &c. Secundò ea sententia impugatur: quia iuxta eam Deus non esset causa moralis actus studiosi, quod non minus inconuenit, quàm è contrario esse causam moralem actus prau. Sequela in aperto est: namque ideo Deus nō est causa moralis actus prau, quia eū positiuè nō intendit, eumque præcisè non impedire vult: ac hac etiam ratione actum studiosum vult, vel potius permittit, ad eiusque productionem omnipotentiam suam applicat. Tertiò impugatur eadem sententia: quia vel actus, ad cuius productionem omnipotentia Dei cooperatura est, est actus studiosus, & naturæ rationali consentaneus: & ita non est, cur ad eius productionem non applicet omnipotentiam suam per voluntatem aliquam saltem inefficacem, quæ positiuè ad illum terminetur: aut est actus prauus, & naturæ rationali dissenteus: & ita etiam non est, cur ad eius productionem omnipotentiam suam non applicet per voluntatè aliquam positiuam: siquidem actus quæramus prauus physicam, & naturalem aliquam bonitatem, & perfectionem sibi vendicat: cur ergo ad hanc volitio aliqua Dei positiuè terminari, & per eam eius omnipotentia applicari nequeat?

Quinta, & postrema sententia est Patris Arriaga disp. 2. Physic. sect. 2. subsect. 3. aliorumque plurium, qui existimant Deum applicare omnipotentiam suam ad operandum simul cum causa secunda libera per voluntatem absolutam, & inefficacem; qua tam actum prauum, quàm actum studiosum quoad omnes vtriusque formalitates velit, atque intendat. Verum hæc sententia nullo modo ferenda est: primò, quia iuxta eam Deus propriè, & simpliciter malum veller. Respondent, Deum velle posse omne id, quod producere potest, eodem modo, quo illud producere potest: si enim Deum aliquid producere malum nō est, cur illud velle malum sit: cum ergo Deus actum prauum producere possit, &c. Verum faciliè, iuxta nostra principia præcisiones obiectiuas tuentia, hæc responsio eludi potest: siquidem Deus peccatum quoad solam eius entitatem, & perfectionem physicam immediatè, & reduplicatiuè vt talè producat: hac ratione etiã diuina voluntas illud amare, siue in eo cōplacere potest, nō vero quoad omnes eius formalitates, sicut arbitrarer aduersarij.

Secunda ea sententia impugatur eo argumenti genere, quo superiores etiam impugnari possunt: quia cum volitione absoluta inefficaci actus studiosi, v. delicti amoris Dei, optimè coheret, Deum nolle efficaciter existentiam illius amoris: at ea nolitio efficax omnipotentiam Dei ad productionem amoris proximè expeditam, & applicatam esse non sinit: igitur volitio absoluta, & inefficax amoris ad eius productionem omnipotentia Dei proximè non expedit, aut applicat: aliàs simul & semel esset applicata, & non applicata; applicata quidem, ratione volitionis inefficacis, quæ, iuxta aduersarios tota ratio applicandi est; non

19.

20.

non applicata, ratione nolitionis efficaci; quæ proculdubio omnipotentiam implicat, nec cum arbitrio concurrat: ac proinde eam non applicatam reddit. Tertiò impugnatur ea sententia, quia iuxta eam Deus non minus esset causa moralis actus prauī, quàm studiosi: siquidem ideo est causa moralis actus studiosi, quia cum inefficaciter intendit: at etiam actum prauum inefficaciter intendit. Quartò demum: quia nulla causa creata ad operandum ad extra per voluntatem merè inefficacem applicari potest, siue se sola operetur, vt aduersarij non dissidentur, siue simul cum alia causa; vt cernere est in duobus hominibus, qui ad ferendum aliquod pondus concurrere nequeunt, absque eo, quod illud ferre efficaciter velint. Explicent ergo aduersarij, quatenus Deus ad operandum ad extra simul cum arbitrio creato per voluntatem merè inefficacem applicari possit.

21. Nostra sententia sit, Deum applicare omnipotentiam suam ad concurrendum cum causa secunda libera per duplicem volitionem: aliam positivam, permissivam aliam: aliam inefficacem, efficacem aliam: quarum prima, inefficaci nimirum, & positiva actum bonum, & malum; hunc quoad solam eius entitatem, & perfectionem physicam, non vero quoad eius malitiam; illum vero quoad omnes eius formalitates intendit. Secunda vero nimirum permissiva, & efficaci neutrum actum impedire, siue efficaciter nolle statuit. Contra has volitiones seorsim sumptas plura militat, quæ negotium facessunt, vt ex superioribus liquidum est: contra eas vero simul sumptas nil obici potest, quod momenti sit, vt nunc nunc ostendo. In primis iuxta hanc sententiam rectè intelligitur, quatenus Deus peccatum non intendat, sicut opus bonum intendit; & quatenus huius potius, quàm illius author, & causa moralis sit, vt supra cap. 3. fusè exposuimus. Dices tamen: eo ipso, quod Deus velit prædeterminationem physicam ad actum prauum, ipsum etiam actum prauum virtualiter, & æquivalenter velle censetur ob connexionem essentialē, qua prædeterminatio cum actu prædeterminato connectitur: at entitas actus prauī non minus connectitur cum eius malitia, imò multo magis, videlicet per identitatem realem: igitur Deus volens entitatem actus mali, eius etiam malitiam virtualiter, & æquivalenter velle censendus est: quod tamen in apertum Dei dedecus cedere videtur. Respondeo: Deus volens efficaciter prædeterminationem physicam ad actum prauum, ipsum etiam actum virtualiter, & æquivalenter velle tenetur; cum volitio efficax prædeterminationis impossibilis sit cum nolitione efficaci actus prædeterminati. Cæterum volitio inefficax Dei terminata ad entitatem physicam actus prauī non est impossibilis cum nolitione efficaci malitiæ moralis, cum qua identificatur: vnde Deus volens inefficaciter entitatem actus prauī, eius malitiam virtualiter, & æquivalenter velle censendus non est.

22. Rursus iuxta hanc sententiam rectè intelligitur, qua ratione Deus per meram volitionem inefficacem operari ad extra simul cum arbitrio creato possit: esto se sol ad extra operari vi solius voluntatis inefficaci nequeat: cum enim actus liberi arbitrij non minus Deo, quàm ipsi arbitrio liber sit libertate indifferentiæ; vt supra cap. 3.

R. P. Lyncei Philosophiæ Tom. II.

prælibauimus: sanè Deus absque vlla volitione efficaci ad eum actum concurrere poterit: haud aliter ac homo ad actum sibi immediate liberum absque vlla volitione efficaci prauia determinare potest: quæ ratio non militat in Deo, vbi se solo operatur; eius enim sic operantis opera ei immediate libera esse non debent. Præterea iuxta hanc sententiam rectè intelligitur, quatenus actus liberi nostri arbitrij liber esse possit: siquidem volitio diuina ad eum positivè terminata inefficax est: quæ vero efficax in Deo ad illum concurrente est, non ad illum, sed ad carentiam impedimentorum terminatur: quæ certè carentia creaturæ libera non est.

CAPVT V.

An causa prima secundus ad operandum physice prædeterminet?

23. PAtres Dominicane Familie in ea sententia sunt, vt existiment, causas omnes secundas, antequam pro posteriori actu operentur, accipere à Deo aliquid intrinsecum; ratione cuius ad operandum excitentur, moueantur, & determinentur: calorem v. g. aliquid physice sibi inherens, quo ad producendum alium calorem prædeterminetur; & voluntatem præter cognitionem obiecti aliquid etiam physicum, & intrinsecum, quo ad amandum liberè prædeterminetur: hoc autem, quod causæ secundæ in actu secundo operaturæ à Deo præcipiunt, eius indolis, & naturæ adstruitur; vt eo posito, ne diuinitus quidem possit non operari causa secunda, cui imprimitur; eo vero deficiente neutiquam operari possit. Quare prædeterminatio physica à suis Authoribus vnanimi & pleno consensu appellatur: à nonnullis qualitas vitalis, nimirum illustratio aliqua intellectus, aut pia affectio voluntatis: ab alijs qualitas mortua, & non vitalis censetur.

24. At vniuersa Societas Iesu contrariam sententiam sequuta est: & eiusmodi prædeterminationem physicam arbitrij libertatem euertere, sufficientiam gratiæ Dei de medio tollere, Deum authorem peccati constituere, causis necessarijs superfluam esse, & Concilijs PP. Scripturis, & antiquis Scholasticis planè repugnare semper censuit. Delata est controuersia ad Summos Pontifices: & cum nostri modesta sententiæ suæ defensione contenti essent, nullamque contrariæ sententiæ notam, aut censuram molirentur; summo tandem orbis plausu, & Ecclesiæ emolumento obtinuimus; & sententiam nostram velut tutam, catholicam, & ad hæreses nostri temporis profligandas vtilissimam defendi posse euicimus. Non vacat pro dignitate tractare quæstionem hanc celeberrimam, qua totius orbis gymnasia personant, præla lassantur, & ingenia torquentur: quare omīssis Theologicis argumentis, eam philosophicè tantum tractare, solumque argumentum à libertate desumptum breuiter expendere animus est. Positum libera est, quæ positum omnibus requisitis ad operandum, operari, & non operari potest: at voluntas prædeterminata, positum omnibus requisitis ad operandum, præcise operari

R. 2

neutiquam

neutiquam vero non operari potest : ergo voluntas prædeterminata ad operandum liberè operari nequit. Maior est definitio libertatis à nullo non recepta. Minor probatur : quia prædeterminatio physica est vnum ex requisitis ad operandum , & posita ea non potest voluntas non operari , cum essentialiter connexa sit cum operatione : igitur voluntas prædeterminata ad operandum liberè operari nequit. Mirum est , quantopere torqueat hoc argumentum aduersarios , & quot modis eius vim eluctari conentur.

25.

Respondent primò Thomistæ : posse voluntatem prædeterminatam non operari in sensu diuiso prædeterminationis , licet non in sensu composito ; idque sufficere , vt liberè operetur : quatione homo liberè sedet , quamvis in sensu composito sessionis , siue dum sedet , non sedere nequeat : quia in sensu diuiso sessionis sedere potest. Contra tamen primò : quia non operari in sensu diuiso , sicut ad libertatem oportet , est posse diuidere , & tollere omne id , quod cum non operatione impossibile est : qua ratione potest quis in sensu diuiso non sedere , sicut ad libertatem sessionis opus est ; quia potest diuidere , siue tollere sessionem impossibilem cum non sessione : at voluntas , iuxta aduersarios , diuidere prædeterminationem impossibilem cum non operando eamve à se discutere nequit. Contra secundò : quia si sensus diuissus , & compositus prædeterminationis libertati consentaneus acceptatur pro hoc , quod est , posita prædeterminatione non posse voluntatem non operari ; & ea non posita posse eam non operari , vti à Thomistis ante Alueldam , quidquid ipse obstrepat , semper hucusque usurpatum fuit ; si , inquam , ita accipiat , non est , cur Beatus liberè Deum non amet : siquidem quamvis posita visione Dei , eum non amare nequeat ; ea tamen sublata eum non amare potest ; & , quod plus est , non est , cur belluis libertas non insit ; quamvis enim sufficienter proposito obiecto , illud non appetere nequeant ; sublata tamen ea propositione obiecti , illud non appetere possunt. Contra tertio , & efficacissime : quia Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 5. can. 4. sermonem habens de gratia efficaci , eamque cum libertate compositibilem esse contra Calvinum statuens , ita pronunciat : *liberum arbitrium à Deo motum , & excitatum potest dissentire , si velit* : at posse dissentire gratiæ efficaci , est posse non operari in sensu composito illius : siquidem in sensu diuiso gratiæ efficaci , eaque non existente , ei dissentire nequit voluntas , quantumvis non operetur : sicut præcepto non posito , ac non existenti nemo contrauenire , illudue violare potest : igitur voluntas potest non operari in sensu composito gratiæ efficaci : cum ergo gratiam efficacem in prædeterminatione physica aduersarij collocent , sanè voluntas , &c.

26.

Tandem ea solutio à nostris confutari solet : quia voluntatem prædeterminatam non operari , est componere carentiam operationis cum prædeterminatione ad operandum : ergo posse voluntatem prædeterminatam operari , est posse componere carentiam operationis cum prædeterminatione. Antecedens à Thomisticis admittitur , nec ab vilo mentis compote negari potest. Consequentia est euidens : quia posse defini-

tum , est posse definitionem : at voluntatem prædeterminatam non operari , & componere carentiam operationis cum prædeterminatione sunt essentialiter idem , & se habent , sicut definitum & definitio : ergo posse vnum , est posse alterum. Tum à paritate : quia hæc consequentia est euidens : esse hominem , est esse animal rationale : ergo posse esse hominem , est posse esse animal rationale : ergo etiam superior consequentia euidens est : tum sic , voluntatem prædeterminatam ad operandum posse non operari , est posse componere carentiam operationis cum prædeterminatione : at voluntas prædeterminata ad operandum potest non operari , aliàs libera non esset : igitur potest componere carentiam operationis cum prædeterminatione , vel , quod perinde est , in sensu composito prædeterminationis non operari , quod tamen impossibile est.

27.

Secundò alij respondent , voluntatem posita prædeterminatione ad operandum , siue exsuppositione prædeterminationis non posse non operari ; & tamen liberè operari : eo quod eiusmodi suppositio non sit simpliciter antecedens , neque prædeterminatio sit actus primus ad operationem , sed actus quidam medius inter actum primum , qui in voluntate proximè expedita ad vtrumlibet consistit , & actum secundum , qui in ipsa operatione consistit : quare sicut homo liberè sedet , licet ex suppositione , quod sedeat , non sedere nequeat : videlicet quia ea suppositio simpliciter antecedens non est , sed potius simpliciter consequens : ita similiter , &c. Contra tamen primò : quia D. Thomas , à quo aduersarij ne latum quidem vnguam se discedere profitentur , actum adequatè diuidit in primum , & secundum 1. part. quæst. 48. art. 5. ibi : *actus autem est duplex , primus & secundus : actus quidem primus est forma , & integritas rei : actus autem secundus est operatio* . & quæst. 1. de potentia art. 1. ibi : *sciendum quod potentia dicitur ab actu : actus autem est duplex , scilicet primus , qui est forma , & secundus , qui est operatio* : igitur si Angelico Doctore standum est , actus omnis medius inter primum , & secundum commentitius est : ac proinde in eiusmodi actu prædeterminatio collocari nequit. Et quidem mirari satis non possum aduersarios , qui nomen scientiæ mediæ , scientiæ conditionatorum re ipsa in Deo existenti accommodatum tantopore respuunt ; actum tamen medium nusquam apud antiquos usurpatum amplectuntur.

28.

Contra secundò : quia prædeterminatio physica constituit voluntatem proximè expeditam ad operandum , eique sic expeditæ neutiquam superaddi potest , vt aduersarij nituntur : igitur non est actus medius inter voluntatem proximè expeditam , & eius operationem. Antecedens suadetur : quia vt voluntas operetur , nihil aliud præuiè requiritur , quàm vt sit proximè expedita ad operandum : quidquid enim aliud excogitari potest , superfluum , & commentitium est : at , vt voluntas operetur , prædeterminatio præuiè requiritur , vt aduersarij omnes farentur : igitur prædeterminatio voluntatem proximè expeditam ad operandum constituit. Confirmatur , & declaratur : cognitio est actus primus respectu amoris , & non actus medius inter voluntatem potentem amare , & ipsum amorem : non

alia

alia ratione, nisi quia cognitio antecedit natura amorem, ad eumque intentionaliter aut mouet, aut determinat: at prædeterminatio physica præcedit natura operationem, ad eamque physicè non solum mouet, verum etiam determinat: quæ duo & ab ipsis aduersariis admittuntur, & vel ex ipsa prædeterminationis etymologia perspicuè colligi possunt.

29. Contra tertio: quia vt actus ille medius admittatur, in eoque prædeterminatio physica collocetur, id omne ad tuendam libertatem inutile, & insufficiens est: siquidem quamuis actio sit actus quidam medius inter causam, & effectum; tamen si actio essentialiter connexa cum effectu, non esset in potestate causæ, nec hæc eam ponere, aut non ponere potest; sanè effectus causæ liber esse non posset, vt manifestum est: igitur quamuis prædeterminatio physica essentialiter connexa cum actione sit actus medius inter causam, & actionem; si tamen ea in potestate causæ non sit, nec eam ponere, aut non ponere possit: sanè actio causa libera esse non poterit: at prædeterminatio physica non est in potestate voluntatis, nec voluntati eam ponere, aut tollere pro libito integrum est: igitur actio prædeterminata voluntati libera esse non potest.

30. Tertio alij respondent prædeterminationem non esse suppositionem simpliciter antecedentem, sed quodammodo consequentem: quia licet antecedar actum bonum in genere causæ efficientis, eum tamen subsequitur in genere causæ materialis, siue dispositiue: eo quod actus bonus à Deo prædeterminatus sit dispositio, qua homo ad eam prædeterminationem à Deo accipiendam disponitur: vnde licet supposita prædeterminatione non possit voluntas non operari, tamen liberè operabitur. Contra tamen primo: quia mutua illa prioritas in diuerso genere omnino repugnat, vt supra tract. 4. fusè ostendimus. Contra secundo: quia iuxta hanc solutionem ideo vnus homo, & non alius haberet physicam prædeterminationem, siue gratiam efficacem; quia vnus, & non alter ad eam liberè se disponere voluit: quare cum vnus, & non alter conuertitur per gratiam efficacem, vnus se ab alio non solum in actu secundo, verum etiam in actu primo discernit. Quorsum ergo contra nos verba illa Pauli: *quis est, qui se discernit?* aduersarij ingeminant? cum iuxta ipsos vnus homo se ab alio in actu primo discernat, & in nostra sententia solum in actu secundo homo se discernat: & iuxta ipsos efficacia gratiæ in actu primo in potestate voluntatis sit, iuxta nos vero solum reddere efficacem eam in actu secundo voluntatis arbitrio subditum sit. Aut cur sequentibus Pauli verbis: *quid gloriaris, quasi non acceperis* contra nos, quasi contra fautores liberi arbitrij tantopere gloriantur? cum ipsi longè plus, quam nos libero arbitrio deferant; & consequentem gratiæ, quæ efficax est, in potestate & merito voluntatis statuunt, quam tamen nos soli Deo acceptam referimus. Parco aliis argumentis ne longus sim.

31. Quarto alij respondent, voluntatem prædeterminatam posse non operari posita prædeterminatione, & cum ea carentiam operationis componere: ceterum infallibiliter operaturam, & ca-

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

rentiam operationis cum prædeterminatione nunquam composituram. Contra tamen; quia prædeterminatio physica ad operandum, aut essentialiter, siue cum operatione connexa est: & ita est essentialiter, & physicè impossibilis cum carentia operationis: ac proinde compositio carentiæ operationis cum prædeterminatione essentialiter repugnat: eo autem ipso quod essentialiter repugnet, ad eam nulla potentia dari potest: aut prædeterminatio physica non est essentialiter connexa cum operatione, sed tantum moraliter: eo quod difficultas cohibendi operationem posita prædeterminatione tanta sit, vt facta ea suppositione infallibiliter cohibenda non sit: & sic prædeterminatio illa non physica erit, sed moralis; de qua inter nostros Authores, & Thomistas in præfenti minimè controuertitur: & de qua facile probari posset iuxta superiora eodem modo tollere libertatem moralem, quo prædeterminatio physica libertatem physicam tollit.

32. Quinto alij respondent, potentiam liberam esse, non quæ indifferentia subiectiua potest operari, & non operari, positis omnibus requisitis; sed quæ indifferentia obiectiua potest operari, & non operari, positis omnibus requisitis; id est, quæ iis positis habet iudicium indifferens, quo vtrunque contradictionis partem cognoscat: cum ergo cum prædeterminatione physica eiusmodi iudicium indifferens cohæreat, sanè cum ea libertas cohærere poterit. Verum hæc solutio merito ab ipsis Thomistis iam deseritur: quia iudicium indifferens cum necessitate coniuncta esse potest, & se solo libertatem non adstruit: qua ratione quamuis humanitas Christi habeat iudicium indifferens boni, & mali; ad bonum tamen, & malum libera non est, sed vi vnionis hypostaticæ ad bonum necessitata: igitur quamuis voluntas prædeterminata ad operandum habeat iudicium indifferens circa operationem, & non operationem; non ob id liberè, sed potius necessario operabitur.

CAPVT VI.

Argumenta contraria soluntur.

33. Obiiciunt primò aduersarij plura loca Aristotelis, in quibus asserit, Deum esse primum motorem, primam causam primum liberum: ergo quia Deus prius natura mouet, causat, & liberè producit operationem creaturæ, quam ipsa eam operatione ponat: id, per quod Deus prius natura, quæ existat operatio creaturæ, eam causat, & liberè producit, & ad eam efficaciter mouet, siue determinat, prædeterminatio physica est. Respondendo, Deum dici primum motorem, primam causam, primumque liberum respectu cuiusvis operationis, & actionis creatæ: non quod actio Dei actione creaturæ prior natura sit, eamque naturaliter producat, cum vtraque actio eadem realiter sit, sed quod actio Dei prior dignitate sit actione creaturæ, sumpta actione in concreto: videlicet quia Deus per actionem sibi cum creatura communem principalius, & dignius effectum producit, quam creaturæ: eaque actio Deo magis, quam creaturæ adscribenda est. Obiiciunt secundò plura D. Thomæ loca, in quibus docet Deum mouere, applicare, & adiungere causas

causas secundas ad operandum, praesertim q. 3. de potentia art. 7. ad 7. ubi expresse addit, causam primam addere secundae virtutem aliquam quasi instrumentariam, qua ad agendum compleatur: at haec intelligi nequeunt absque eo, quod Deus causas secundas ad operandum praedeterminet.

34. Verum quam longè absit D. Thomas à physica praedeterminatione eruditè ostendit Petrus à Sancto Ioseph ordinis Cisterciensis in aureo illo libello, quem ita inscripsit; *Defensio Sancti Thomae Aquinatis Doctoris Angelici aduersus Recentiores quosdam Theologos, qui praedeterminationem physicam ad actus liberos illi falsò affingunt: nobis sufficiat illud testimonium D. Thomae in 2. distinct. 8. quæst. 1. art. 1. ibi: ipsa autem potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura; sed quod determinatè exeat in hunc actum, vel in illum non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate*: tum ita, quod voluntas exeat in hunc actum, non est ab alio determinante: ergo nec ab alio praedeterminante, cum praedeterminatio determinationem includat. Quare quod ait saepe numero D. Thomas, causam primam mouere, adiuuare, & applicare secundam ad operandum de solo concursu comitanti exponendum est: quod autem ait, causam secundam accipere à causa prima virtutem aliquam superadditam ad operandum, ab eo retractatum fuit 1. p. quæst. 105. & 3. contra gentes cap. 7. vt rectè notat Suarez lib. 1. de concursu Dei cap. 11. n. 6. & 7. esto autem retractatum non fuerit, nobis negotium non facessit: siquidem loco citat. tantum asserit D. Thomas eiusmodi virtutem superadditam causae secundae eam ad operandum complere, neutiquam vero eam cum operatione essentialiter connexam esse: vnde praedeterminatio physica censenda non est.

33. Obiiciunt tertio: à principio indifferenti, vt indifferens est, nequit oriri determinatio: at voluntas ad operandum, & non operandum indifferens est: ergo ipsa se determinare non potest, ac proinde à Deo praedeterminari debet. Verum maior argumenti, quam tumuis parcemia nomine personata, negari debet, eamque falsam esse perspicuum est: tum quia voluntas Dei est omnino indifferens ad volendum, & non volendum: & tamen ipsa se determinare ad alterum potest: siquidem ab alia causa superiori praedeterminari nequit: tum quia voluntas est indifferens ad peccandum, vel non peccandum: & tamen ad peccandum non à Deo, sed à se determinatur. Obiiciunt quarto: auxilium gratiae efficax intrinsecè, & essentialiter efficax est: igitur ad consensum physicè praedeterminat. Antecedens probatur: tum quia maius beneficium confert Deus ei, cui auxilium efficax confert, quam ei, cui inefficax confert: at si auxilium gratiae efficax intrinsecè, & essentialiter efficax non esset; sed potius ad inefficaciam, & efficaciam indifferens, haud secus ac auxilium gratiae inefficax indifferens est, non conferret Deus maius, sed æquale beneficium ei, quem efficaciter vocat, quam ei quem ineffaciter vocat. Tum quia, si auxilium gratiae efficax essentialiter tale non est, & inefficax esse potest, cum duobus auxiliis intrinsecè, & entitativè æqualibus vnus homo conuerti, & alter non conuerti poterit: vnde vnus homo se ab altero discernere

poterit; contra illud Pauli: *quis est, qui te discernit: quid habes, quod non accepisti, &c.*

36. Respondeo negato antecedenti. Ad eius primam probationem: quantumuis auxilium gratiae intrinsecè, & essentialiter efficax non sit, facile tamen exponi potest, quarens Deus maius beneficium conferat ei, qui conuertitur; quam ei, qui non conuertitur: eique cui gratia efficax; quam cui inefficax tribuitur: siquidem Deus vni confert auxilium gratiae, cum quo prauidit per scientiam mediam eum conuertendum, si vocetur; & alteri auxilium gratiae, cum quo eum minimè conuertendum prauidit. Ad secundam probationem: Deus primario, & magis principaliter vnum hominem ab alio discernit: siquidem solus Deus gratuito, & absque vlllo merito, aut dispositione morali prauia ex parte hominis confert illi gratiam, nec in eo conuertendum per scientiam mediam cognoscit; & ex suppositione gratiae ipsam conuersionem magis principaliter efficit: alteri vero eiusmodi gratiam minimè largitur, nec in eo conuersionem operatur. Caterum ipse homo se ab alio secundario, & minus principaliter discernit: eò quod gratiam sibi collatam non frustretur, pro eo, ac potest; sed potius ei consensum illam salutem adiungat: quod tamen alter æquali gratia à Deo prauentus vitio suo non facit. Demum obiiciunt plura testimonia Scripturae, quale est illud Prouerbior. 11. *cor Regis in manu Dei est, & quocumque voluerit, inclinabit illud.* & Ioan. 6. *nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit illum*: & Pauli ad Roman. 9. *non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis.* Quae tamen, & similia testimonia non de motione physicè praedeterminante intelligenda sunt, sed de motione suauiter excitante cor hominis: efficaciter tamen, & infallibiliter ratione scientiae mediae, qua Deus conspiciat, motionem illam suauem, & ad vtrumlibet indifferentem; si tamen hic, & nunc homini conferatur, ab eo consensum assequuturam. Verum satis sit, primoribus labris haec attrigisse.



TRACTATVS IX.

De causa materiali, & formali.

CAPVT PRIMVM.

Quid sint causa materialis, & formalis, ac an dentur in rebus, & qua proprietate?



AVSA materialis est, quae intrinsecè sustentat formam aliquam, cum eaque totum constituit. De qua id in primis disputandum est, an detur in rebus? Negant enim aliqui Recentiores hoc argumento ducti: anima rationalis naturaliter produci nequit, nisi in corpore, tamen si possit extra corpus conseruari: at hoc non obstante corpus non est causa materialis animae rationalis, nec haec ab illò in genere vllius causae dependet: similiter ergo, quamuis reliquae formae materiales